



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Crucifixi vultus ad nos propensus, ad fiduciam nos invitat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

§. I.

Crucifixi vultus ad nos propensus, ad fiduciam nos invitat.

Primò: Conjectis in Christi crucifixi effigiem diligentibus oculis, atque exorsus à vertice; contemplaberis in primis divinam frontem spinarum aculeis compunctam ac deformatam, & guttis sanguineis adhuc rorantem, vultum illum decore ac dignitate conspicuum, benignos ac mites oculos, faciem ipsis etiam Angelis amabilem, cruore suffusam; infusam lacrymis, sputis infectam, livore decoloratam, demum ad oscula pœnitentis animæ clementissimè inclinatam: tum illam reliquam miserandam formam crucifixi corporis; terebratas manus, transixos pedes, latus percussum atque apertum, protensa violenter brachia; totum ipsum corpus in vivam compositum doloris imaginem, & velut in quandam miserationis ac pietatis scenam expansum. Atque hoc aspectu miserabili in spem ac fiduciam, erectus, age, ipsum JESUM in cruce suffixum in istius modi sensum affare.

Reum quidem me fateor, ó bone JESU, & tot tantorumque criminum reum, ut sit quod de mea salute desperem, si in furore tuo, & non ex misericordia tua judicare me volueris. Veruntamen ad te, quem in isto doloris atque ignominie patibulo miserabiliter pendentem ac pro me morientem intueor, ad hanc tuam crucem [quæ instar asyli certissimi reis omnibus ad tutelam ac præsidium proposita est] dum adhuc tempus est miserendi, confugio; hanc salutis aram apprehendo. Nolo causam meam in diem Domini reserves, extremam illam ac decretoriam, diem magnam atque amarum: verùm in hac die, quam si-
mul & tuam & nostram esse dixisti, de salutis meæ summâ ^{Joan. 8. v. 56.} decerni desidero. *De vultu tuo judicium meum prodeat, sed Luc. 19. v. 42.* illo crucifixi, non judicis; non de illo, inquam, vultu mi-

H h 2

naci

naci & terribili [qualem se impijs in die extremo exhibiturus est] sed isto clemente atque benigno, atque ad parcendum & miserandum adhuc propenso. Ad tribunal isto misericordiæ tuæ: ibi me [pace tuâ loquar audentius] ibi me oportet judicari. Ab illa prælustri ac fulgurante nube, quam instar solij judiciarij olim infellurus es, ad hanc alarum tuarum umbram, ad hunc thronum gratiæ, ad indulgentiæ tribunal appello: à te Judice olim implacabili & inexorabili, ad te modò patronum & miserorum advocatum provoco.

Magna quippe isto seu loco seu tempore, oboritur mihi salutis fiducia, cum te de rostris & suggesto crucis tue causam meam orantem video, & pro salute mea, usque ad sudorem, ad sanguinem, ad mortem, laborantem; neque lingua duntaxat, sed membris omnibus paternam mihi gratiam exorantem. In hoc tribunali si à te judicet; salvus sum. Quid enim formidem, aut causæ diffidam, quantumvis reus; quando idem & judex & patronus mihi futurus es? Neque jam verebor ultimi judicij severitatem, præsentis securus præjudicio: nec enim in illo extremo die et retractabitur sententia, quam tu unus idemque utroque foro judex, semel de crucis tribunali pro me dixeris, & sanguine tuo, tanquam gratiæ signaturâ, muniveris.

Atque hac præsertim ex vultus Christi crucifixi contemplatione.

§. 2.

Christi brachia in cruce protensa peccatores expectant ad veniam.

Secundò: Deinde considerabis eam quam dixi, sacrosancti corporis per crucis membra diffusi formam amabilem, & velut ad peccatores recipiendos compositam, & ad pacis oscula & amoris amplexus extentam. Ex ea quippe con-